

Michaëlis
De Muhammediani
saxitate morali

LS

H. 870.





XIV. 6.

DISPVTATIO ACADEMICA
DE
MVHAMMEDISMI
LAXITATE MORALI,

Quam

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA, ET DVCATVS
MAGDEBURGICI GVBERNATORE,

*INDVLGENTE AMPLISSIMA FACVLTA TE PHILOSOPHICA
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,*

PRO LOCO

In Eadem rite obtinendo,

D. XI. AVGVST. cl. lxxxviii.

H. L. Q. C.

Publice ad ventilandum proponet

PRAESES

M. CHRISTIANVS BENEDICTVS
MICHAELIS,

RESPONDENTE

IOHANNE HENRICO POTHOVIO,

Rhoda - Waldec.

HALAE MAGDEBURGICAE,

LITTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.



DISTYTIATU MACADEMICA

MVLLA MEDISMA
LAXITATE MORALI

RECTOR MAGISTRUS
SPEIANTISSIMO AC DOCTISSIMO

BY PHILIPPO WILHELMO

PRINCEPS SOCIETATIS MORGENTHAUENSIS

DEI ET PATRIAE



M. CHRISTIANUS REINOLDUS
MICHAELIS

IOHANNES HENRICH BOHME

Rechtswissenschaftler





CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Mubammedisimi admiranda progressio §. 1. varias habuit causas §. 2. Anne & doctriinae probabilitas in earum censum veniat, expenditur. §. 3. in cuius locum substituere malumus doctrinae amabilitatem, ex laxitate eius existentem §. 4. Institutum vero nostrum exponimus §. 5. idemque persequimur I. dando generalem aliquam Mubammedisimi ideam ex ipso Alcorano, qua sub titulo facilitatis suam insinuat laxitatem §. 6. cui non obest difficultas alibi commemorata §. 7. II. Exemplis Mubammedisimi laxitas illustratur. Nam a) Vindictam priuatam, quam ad speciem alicubi dissuadet Mubammedes, §. 8. alibi liberam facit §. 9. Vnde magnum Mubammedisimi a Christianismo discrimen notatur, addita notabili cuiusdam Arabis Moslemi confessione §. 10. b) Concedit vagas libidines §. 11. c) Polygamiam §. 12. 13. d) Repudium §. 14. Arabum genti libidinosissimae ubique gratificatus §. 15. e) Crasiam hypocrisin excusat §. 16. 17. f) Incestum ex praeiterito tempore continuari, & ilicite aduersum retineri concedit §. 18. itemque g) temerarium iurandi usum & periurium §. 19. III. Praejudicia subiungimus, quibus laxitatem suam defendit, analogia praedictis Pseudo Christianisimi vulgaribus §. 20. ut a) sublatum vnus graue legis §. 21. non ceremonialis, sed Christi §. 22. b) opinionem de indulgentia & benignitate Dei §. 23. c) Praetextum imbecillitatis humane §. 24. d) Deum nil ultra, quam possumus, a nobis requirere §. 25. e) Peccata leuiora non esse alicuius momenti §. 26. f) praesumptionem ex professione unitatis Dei §. 27. IV. Occupamus obiectum nostrae sententiae prohibitum vini, usum & pecuniarum, ciborumque quorundam usum §. 28. Ostendimus, nec fundamentales Istanisimi constitutiones laxitati eius obesse, §. 29. ut a) bellum pro religione §. 30. b) vnus Dei professionem §. 31. c) Eleemosynam §. 32. d) Praeces §. 33. e) Ieiunium §. 34. f) Peregrinationem §. 35. ac g) Purificationem tandem §. 36.

§. I.



DE MVHAMMEDISMO aliquid commentari instituimus, religione, quae hodiernum amplissimis per orbem terrarum grassatur finibus. Nata primum fuit in Arabiae angulo, inter Meccanos ac Medinenses, auctore Muham-

A 2

ham-

hammede, fanatico homine, & quem constans Moslemorum traditio fert, *idiotam*, hoc est, legendi scribendique imperitum exstitisse. Eadem vero religio, cuius initia propter dogmatum futilitatem contemnenda esse videbantur, mox extra Arabiam progressa, celeri cursu per plurimas maximasque regiones late peruagata est: ac non contenta vna orbis parte, per Asiam, per Africam ac per ipsius Europæ partem haud exiguam se propagauit. Tam subita & tam ingens fuit ista progressio, vt (velut de Ariana hæresi nonnemo quondam loquutus est) breui tempore mundus se Muhammedanum factum esse miratus sit.

§. 2. *Causas tam admirandæ propagationis varias variis tradunt.* Arma enim & bellicos Moslemorum successus aliqui allegant, cum quibus ipsa quoque illorum superstitio in debellatas prouincias effusa: Alii Iudæorum eius temporis miseriam ac debilitatum robur, Christianorum vero rixas, depravatos mores ac torporem commemorant: alii ignorantiam ac cæcitatem illius sæculi, præsertim apud Arabicam gentem, in qua recens religio suas habuit origines; cui proin ab impostore illudi pronum fuerit. Plures denique ac saniores addunt his seuerum Dei iudicium, quod propter pertinacem veritatis diuinæ contemptum, terris grauius incubuit, permessa mortalibus errorum efficacia, vt, qui veritati nolissent obsequi, mendacio crederent, 2. Thess. 2, 10. 11. 12. Existimamus autem, vt vnus rei plures possunt esse causæ, ita istas omnes, quas modo commemorauimus, ad promouendum Islamisimum vna concurrisse.

§. 3. Existit vero apud Batauos Vir Clarissimus, *Adr. Relandus*, qui amplitudinem incrementorum Muhammedi-smi, etiam ex ipsis eius interioribus rationibus repetit; maiorem quippe veri speciem, ac vulgo a Christianis creditur, ei subesse ratus. ita enim Ille in *Præf. de religione Mohammedi-ca: Mibi semper*, inquit, *per suasum fuit, illam religionem, quæ per Asiam, Africamque & ipsam Europam longe lateque se diffudit, maiori veri specie, quæ homines alliciat, commen-*
dabi-

dabilem esse, neque adeo ineptam, ac multi Christiani existimant. Et certum est, nonnulla, quæ a Moslemis absurde statui dicuntur, ita a Viro Cl. ad examen fuisse reuocata, & ex Arabicis monumentis exposita, vt longe aliam induerint faciem. Verum & hoc negari non potest, magnam nihilominus sententiarum copiam in Corano superesse, quæ absurditatis & crassi erroris nota liberari nequaquam possunt; adeo vt vel leuiter attentis imposturæ suspicionem mouere debuissent, (quales in hac ipsa commentatione nostra aliquæ tanguntur.) Quod quidem in causâ est, vt etiamnum difficulter nobis persuadeamus, esse id dogmatum probabilitati tribuendum, quod tantam Muhammedismus, tamque celerem habuerit propagationem.

§. 4. Interim nobis, Muhammedismi naturam considerantibus, alia sed cognata progressionis causâ in mentem venit, quæ non tam specie argumentorum, quam amabilitate, neque tam persuadendo, quam alliciendo continetur. Obseruauimus enim, totam istam religionem ad sensum hominis corrupti accommodatam esse, facilem, laxam, illecebrosam, naturæ genio indulgentem, totaque indole sua carnem sapientem, titillantem, inescantem, atque vt vno verbo, quod volumus, exprimamus, *popularem*. Huiusmodi religione quid est pronius ad fuscipiendum? & quid magis valet incautam ac imprudentem alleclare multitudinem? Nam ea, proh dolor! mortalibus corruptio infedit, vt illecebrosa sectentur, & haud ægre pro veris habeant, quæ iucunda sunt, mendaciisque, suauitatis quendam fructum pollicentibus, perinde capiantur, atque aues escarum inuitamentis. Nimirum error, dum voluntati hominum sua se amabilitate commendat, intellectus iudicium primo suspendit, mox eius assensum paullatim ac placide suffuratur; & facit, vt ad probandum, quæ sensibus ac voluntati arrident, nos faciles præbeamus. Ita fit, quod Comicus ait, vt homo *somniet ea, quæ vigilans vult*; ac credat, quæ vera esse cupit.

§. 5. Hæc meditatio nobis incitamento fuit, vt *laxitatem*

tem Muhammedismi moralem, qua se tot nationibus insinua-
vit, breuiter adumbrare adgressi fuerimus. Quia in re ita ver-
fabimur, vt nihil temere Muhammedismo affingamus, sed quid-
quid dicemus, ex ipso Alcorano aliisque Arabum Moslemo-
rum documentis depromissis, ac Latinitate fideliter donasse
intelligamur. Arabicos enim textus simul adponere, typo-
rum defectus prohibet.

§. 6. Videamus ergo ante omnia, qualem religionis suæ
imaginem ipse Muhammedes in Alcorano expresserit? Nimi-
rum laxitatem suam specioso *facilitatis* titulo passim com-
mendat, vt Sura II, 181. Edit. Hinckelmann. *Vult Deus pro
vobis facilitatem, nec vult pro vobis difficultatem.* quo ver-
bo abutitur, quoties fræna ad licentiam relaxat; estque id adeo
frequens in Alcorano, vt iure suo ad summa Islamismi prin-
cipia referri debeat. Et sane id conducebat Muhammedi
tanquam argumentum, quo vix popularius vllum: siquidem
natura hominis, aspera ac difficilia refugit. Similis vox est
Sura IV, 32. *Vult Deus alleuare vobis*, id est, leuiorem reddere
religionem: *nam homo creatus est infirmus.* quænam vero
est hæc *infirmitas*, cui suam religionem adcommodat? Re-
spondet *Gelaloddinus*, a) celeberrimus Alcorani apud Mos-
lemos interpres, *quod non possit se homo continere a feminis
& libidinibus.* Patet inde, opinor, *facilitatem* Muhamme-
dis nil aliud esse, quam licentiosam laxitatem. Item Sura
XXII, 77. ait: *Deus elegit vos, Moslemi, nec imposuit vobis in
religione quidquam ardui vel vllam angustiam.* Et Sura
V, 9. *Non vult Deus imponere vobis quidquam ardui; sed
vult purificare vos,* (cave, hoc de purificatione cordis intel-
ligas; loquitur enim hic de lotionibus corporis) *& perficere
benignitatem suam erga vos.* Egregiam religionem!
sed quæ multum diuersa est a doctrina & religione Christi,
quæ ardua carni præcipit, salutis viam angusto admodum ac
difficili tramite circumscribens, conf. Matth. 19, 23. seqq. Luc.
13, 24. &c.

§. 7. Equi-

a) apud *Marraccium in Refutat. Alcorani* p. 148. b.

§. 7. Equidem Sura LXXIII, 5. fingit impostor, Gabrielem Dei nomine his verbis sibi loquutum: *Nos sane mittim⁹ super te VERBUM GRAVE*; quod Gelaloddinus interpretatur, *Alcoranum terribilem seu durum, ob res difficiliores ac molestas* in eo præceptas. Et alius Moslemorum interpres *Katadah* in Commentario Arabico *Elkaræ* b), ad eum locumiurat: *Per Deum!* inquit, *difficilia sunt statuta ac definitiones Corani, propter ea quæ prohibet, aut præcipit, aut definit.* Cui succinit ibidem *Mukatil*. Hic vero ipse Muhammedes pugnat contra laudatam antea religionis suæ facilitatem? Obseruandum est primo, esse in eodem Commentario *Elkaræ* alios interpretes, qui *verbum* illud *grave* malunt de *pondere, valore & pretio*, quam *difficultate* constitutionum Alcoranicarum intelligere. Deinde vero si vel maxime de *difficultate* interpreteris, tamen hanc difficultatem Muhammedes eodem capite (quod mirum!) ipse retractauit. Videlicet si contextum inspicias, *difficile verbum* erat illud, quod v. 1--4. & v. 6. nominatim memoratur, *de maxima nocturnum parte non somno, sed precibus ac lectione Corani transigenda*: sed versipellis homo præcepti illius, quod ad speciem & meræ ostentationis causa statuerat, tanquam sibi molesti, Arabibus vero parum grati futuri, mox pertaxus; v. 20. ac seqq. Gabrielem suum sic facit loquentem: *Nouit Deus, vos neutiquam computaturos noctem, id est, distincturos horas noctis, vt sciatis, quotam eius partem precibus, & quotam quieti impendere debeatis; propterea benignius agit vobiscum. itaque legite, quod facile est de Alcorano, h. e. tantum quantum commode potestis. Nouit enim Deus, futuros esse ex vobis ægrotos; alios vero terram peragraturus, querendi victus (proprie aliquid de beneficentia Dei expendi) causa; alios denique pugnare debere in via Dei seu pro religione contra infideles, vt adeo non possint precibus in multam noctem vacare. Itaque legite, inquam, quod facile fuerit de eo sc. Corano.* Et huc pertinet testimonium

Abul-

b) qui MSus exstat in Bibliotheca Orphanotrophei Glauchensis.

Abulcasemi, Moslemi scriptoris, in tractatu de *Abrogante & Abrogato*, c) quod sic habet: *Quidquid continetur in Alcorano asperi ac difficilis, & cum addita comminatione; abrogatum fuit per ea verba Dei: VULT DEVS A VOBIS RES LEVES ET FACILES, NON AVTEM GRAVES ET DIFFICILES. Vid. §. 6.*

§. 8. Sed vt rectius de *facilitate* Muhammedis iudicari possit, agedum videamus aliquot facilitatæ, hoc est, relaxatæ ab ipso religionis exempla. Sancta est lex Christi, qua vindictam abolet priuatam, ac hostes ipsos iubet amari Matth. V, 38. sed nec quidquam molestius est hac lege carni, quippe quæ iniuriis exasperata, ad exercendam vindictam, & ad odium odio, iniurias iniuriis pensandas pronissime fertur, & velut stimulo concitatur. Iam vero Muhammedes videtur haud minus sancte constituisse, cum Sura XXIII, 98. *Propulsa*, inquit, *malum per id, quod est optimum*; fere vt Paulus Rom. 12, 21. *Nixæ èν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν.* & Sura XXVIII, 54. laudat eos, *qui patientes sint, ac malum bono repellant.* Quin sensum illius dicti Prou. 25, 21. & Rom. 12, 20. *de cumulandis prunis super caput hostis*, vix melius quisquam videtur exprimere potuisse, quam Muhammedes Sur. XLI, 34. ait enim: *Repelle malum per id quod est bonum; tum is, quocum tibi inimicitia intercedit, fiet, quasi esset amicus tuus calidus* seu amantissimus. Satis hæc, inquam, pie; modo satis cordate ac serio! Verum persuasum nobis est ex toto habitu Corani, Muhammedem, dum vere, dum pie, dum salutariter alicubi dicere videtur, nequaquam voluisse mortalibus ad seriam pietatem, sinceramque sanctitatem comparandam prodesse, sed sub larua pietatis imprudentes eo decipere facilius.

§. 9. Nam hanc ipsam legem, quam adeo pie contra vindictam priuatam sanxerat, rursus alibi astutissime enervat, quasi non præceptum, sed (vt Pontificiorum phrasi vtar) merum consilium sit. Ita enim habet Sura XVI, 126. *Quodsi decreveritis iniurias vlcisci, facite id eodem modo, ac iniurias per-*
pesi

c) apud *Murracc.* in *Refut. Alcor.* p. 47. a. *ni mifto zniM iqq* (d)

peſſi eſtis, id eſt, nolite modum excedere, ſed tantummodo par pari referte; quodſi tamen patientes fueritis, omiſſa vindicta, id quidem melius eſt pro patientibus; Sura vero II, 187. vindictam priuatam non permittit ſolum, ſed mandat ſuis: Occidite, inquit, eos, (qui vos oppugnant v. 186.) ubique eos deprehenderitis, & eiciate eos, unde vos eiecerunt. v. 189. Et quicumque deliquerit in vos, delinquitte vos in eum viciffim, quemadmodum deliquit in vos. Quin & præmium a Deo exſpectari iubet, ſi quis illatam ſibi iniuriam ultus fuerit, Sur. XLII, 34. -- 39. Quicquid vobis fuerit datum, eſt tantum uſus fructus præſentis vitæ; ſed quod apud Deum eſt, melius & perenniſſimum eſt pro iis, qui credunt -- & pro iis, qui cum accidit iſtis aliqua iniuria, ſeſe vindicant. Compensatio autem mali illati fiat per malum ſimile, hoc eſt, par pari referatur: qui tamen etiam condonauerit iniuriam, & concordiam fecerit, eius merces erit apud Deum. -- Et quiſquis ſe vindicauerit poſt acceptam iniuriam, contra eos non eſt vlla via, ſeu nulla lege ad pœnam damnantur. Quod vero de hoſtibus amandis dixerat, plane contra mentem ipſius fuiſſe oportet. Nam Sura III, 115. ſuis velut rem abſurdiffimam exprobrat, quod hoſtes ſuos amauerint: Ecce, inquit, vos illi (q. d. miſeri & abſoni homines!) amatis illos, cum tamen ipſi non ament vos. Et Sur. IX, 24. ait: O fideles, oppugnite eos, qui de infidelibus prope vos ſunt, & experiantur in vobis crudelitatem. Dicit ergo Abulcaſemus, quod res eſt: d) Quoties dicitur Muhammedi in Corano, Recede ab eis, vel Elongare ab eis, id eſt, Noli eas ob illatam iniuriam lædere, vel aliquid huiusmodi; intelligitur id abrogatum eſſe per verſiculum gladii, qui gladium iubet contra infideles ſumi. -- Et quoties in eodem Corano præcipitur, vt patienter ſuſtineant Iudæos ac Chriſtianos, & ignoſcant illis; abrogatur per illa verba: Pugnate contra eos, qui non

B cre-

d) apud Marracc. in Refut. Alcor. p. 46. 47.

credunt in DEVM & in diem nouissimum.

§. 10. Iudicent ergo, qui ista legunt, ane Muhammedes suo suorumque genio se accommodauerit, atque a Christi doctrina aberrauerit toto, vt aiunt, cælo? Certe res adeo euidens est, vt ex Moslemis ipsis nonnemini confessionem extorserit. Estis *Muhammedes* quidam, Arabs natione, qui Moldauum mentitus, Parisiis sub schemate Religiosi per 45. annos exploratorem Turcici Sultani egit, misis ad Ottomanni regni proceres copiosissimis litteris, quibus res maximi ponderis, tum in vniuersa Europa, tum in Gallia sub Richelio, Mazarino & Ludouico XIV. Rege gestas, perscripsit. e) Is, inquam, non veretur sic scribere: f) *Sur tout observons soigneusement ce precepte écrit dans le livre de la loi des Chrétiens, qui n'est pas toujours imprimé dans leur cœur.*

Ne fay jamais à autrui, non pas mesme a tes Ennemis, ce que tu ne voudrois pas, qu' on te fist à toi-mesme. *Un Duc de Guise a donné l'exemple à toute la France, & c'est ce, que tu dois prescher dans le vaste Empire des Muzulmans.* quod exemplum vbi exposuit, ita pergit: *Sage Brededin, (est hic ille, ad quem scripta epistola) nôtre Mahomet n'a jamais fait voir des sentiments si genereux, lors qu'il écrivit dans sa loi ce precepte contre les Chrétiens, qui ne l'avoient jamais offensé.* **Quand vous rencontrerez les Infideles, tuez les, & leur coupez la teste, faites les prisonniers, & les tenez enchainez iusques a ce qu'ils ayent payé leur rançon, ou que vous trouviez a propos, de les**

e) Partem epistolarum ipsius ex Arabico sermone in Gallicum conuertit, ac sub titulo *L'Espion du Grand-Seigneur* publicauit *Io. Paul. Marana*, Italus, qui forte fortuna huius Arabis MSta post fata eius in ipsius diuersorio detexit.

f) citato opere p. 36. 37. Edit, Amstelod.



les remettre en liberté. Persecutez-les jusques à ce qu' ils soient tous soumis, ou qu' ils soient entierement perdus.

§. II. Porro in castitatis ac pudicitiae lege, quam laxa? quam licentiosa est Muhammedis disciplina? Damnat quidem fornicationes, damnat adulteria; sed actus tantum externos: libidines interius latentes, ex quibus facinorosi actus pullulant, tantum abest vt reprehendat, vt quasi indifferentes potius excuset atque permittat. Sura II, 235. *Non imputabitur vobis crimen, inquit, si quo alloquio manifestaueritis animum vestrum erga mulieres, aut si quid istiusmodi in anima vestra occultaueritis. nouit enim Deus, vos recordari illarum,* nec ab eo vos continere posse. Quasi vero id officium prophetæ datum esset, vt amasiorum amasiarumque veluti magistrum ac pædagogum ageret. Sed nimirum bonus Muhammedes, cum esset ipse impudentissime lasciuus, ex suo augurabatur de asseclarum sensu: qui certe blandius demulceri non potuit, quam suauis hoc solatio, quasi Deus haud inuitus mulierosas hominum cogitationes sciat. Ita in ipso matrimonio quam promiscuas libidines non dicam, permittat, sed inculcet atque præcipiat, dicere verecundia prohibet. Certe quod Sura II, 222. dicit, *Mulieres vestrae sunt ager vobis: venite igitur ad agrum vestrum, quomodocunque volueritis; præmittite tamen* (insignis superstitio & nefaria hypocrisis!) *pro animabus vestris* aliquod bonum opus: hoc, inquam, adeo crasse patrocinator libidini, vt ipsi Moslemorum interpretes nefandum coitum cum mulieribus, hoc est, Sodomitici peccati genus, sibi concessum ex hoc loco asserant. quorum verba allegat *Marraccius*, æternis tamen potius damnanda tenebris, quam cum offensione pudicitiae legenda.

§. 12. Insuper hic duo adhuc laxitatis genera notanda sunt, quibus ceu fortissimis argumentis suam commendauit impostor religionem: vnum *Polygamia* est, alterum *Repu- dii* licentiosa libertas. De permessa Moslemis *Polygamia* prin-

princeps Coranilocus est Sur. IV, 3. *Quodsi timuistis, ne iuste ageritis cum orphanis, ac propterea* (supplet Marraccius ex Commentariis) reliquistis procurationem eorum; time-
te etiam, ne iuste vos geratis cum multis vxoribus: *Ergo ducite in matrimonium tot mulieres, quod visum vobis fuerit, duas, aut tres, aut quatuor sc. liberas. sin timueritis, ne iuste vos geratis cum his quoque, ducite tantum vnā; aut quidquid possident dextera vestra, id est, ancillas, quot potestis & vultis.* Quorum posterius est eo diligentius obseruandum, quod Cl. Relandus g) negat, auctorem Alcorani Muhammedanis permisisse tot vxores ducere, quot alere possent: verba enim Corani iam iam allata non vltra quatuor admittere. Quod quidem lubenter concedimus de *liberis ac ingenuis vxoribus*; praesertim cum Sur. XXXIII, 49, id peculiare *priuilegium Muhammedis* dicatur, vltra definitum numerum vxores liberas ducere. Sed omisit Vir Cl. extremum illius constitutionis membrum, *aut quidquid possident dextera vestra*; quo quidem *ancillae* ad coniugii vsum indefinite, & sine determinatione ad certum numerum, permittuntur.

§. 13. De se ipso autem quando scribit Muhammedes, Gabrielem suum egregie, scilicet, concionantem inducit Sur. XXXIII, 49. *O Propheta, utique nos permisimus tibi tuas vxores, (habuit autem viginti & vnā, vel secundum alios viginti sex, & praeter legitimas vxores, etiam quatuor pellices ancillas h) quibus dedisti mercedes suas, & quidquid possidet dextera tua de eo, quod attribuit tibi Deus, id est, ancillas bello captas: & filias patruui tui, & filias amitarum tuarum, & filias auunculi tui, & filias materterarum tuarum, quae fugerunt tecum ex vrbe Mecca, & quamlibet mulierem fidelem, si se dederit Prophetae, si Propheta voluerit eam ducere. Priuilegium tibi hoc erit praeter ceteris fidelibus, vt sc. ducas vxores, quot lubuerit tibi.* Mittimus hanc in rem plura allegare.

§. 14. Re-

h) lib. II. de Religione Mohammedica §. 33. p. 178.

g) Vide Marraccii Vitam Muhammedis c. 27.

§. 14. Repudii vero licentia, quam propudiosus homo in religione sua stabiliuit, nullam habet omnino conditionem, nisi repudiantis voluntatem, seu libidinem potius. Quippe Sura II, 227. dicit: *Si decreuerint repudium coniuges, Deus quidem est audiens ac sciens.* & v. 229. *Repudium conceditur duabus vicibus,* (id est, licet marito bis comminari vxoribus repudium;) *deinde vel retinendæ sunt vxores, & iuste cum illis agendum, aut dimittendæ benefice.* Quo pertinet, quando Sura IV, 24. liberum facit, *vxores permutare cum aliis,* quod non nisi in gratiam libidinis factum: item quando Sur. LX, 10. 11. 12. concedit, vt mulieres, Islamismum amplexæ, Moslemis nubant, desertis ac inuitis maritis suis (vt vocat) infidelibus; prorsus aliter ac docuit Paulus 1. Cor. VII, 13. seqq. Et vt magis adpareat, quantopere Muhammedes Islamismum vel suæ vel aliorum salacitati seruire coegerit, en nouam licentiam! Deperierat Pseudo-propheta *Zeinabam*, famuli sui ac adoptiui filii *Zaidi* vxorem. Cumque *Zaidus* ex metu magis, quam animo, coniugem in gratiam Muhammedis se dimissurum simularet; tamen Muhammedes, quod vereretur inuidiam, ægre se passus est induci ad ducendam *Zeinabam*: donec impurus ille Gabriel Muhammedis, priuilegium ipsi adfert his verbis conceptum: *Memento, Muhammedes, cum dixisti Zaido, in quem beneficus fuerat Deus, & tu quoque beneficia contuleras in ipsum: Retine tibi vxorem tuam, & time Deum.* Et tu, Muhammedes, *occultabas in anima tua id, quod Deus manifestaturus erat,* sc. amorem *Zeinabæ*: *& timebas homines, cum tamen Deum potius* (qui tibi liberum fecit eam ducere) *timere debuisses.* Postquam enim decreuerat *Zaidus de ipsa negotium,* id est, repudiare illam; *dedimus eam tibi in vxorem.* Sura XXXIII, 37.

§. 15. Opinor autem, ex his, quæ adducta sunt, satis constare, adeo laxam esse in coercenda libidine Alcoranicam legem, vt dubium nullum sit, quin possit quis bonus ac religiosus esse Moslemus, & tamen simul intemperantissime immergi libidinibus. Nimirum his illecebris opus erat religionem su-

am facturo amabilem, præsertim apud Arabes, gentem, qua vix
 vlla salacior, quæque scortationis ac lasciuix nomine dudum
 famosa fuit; quippe Talmudistæ in *Kidduschin* f. 29. 2. i) non
 dubitarunt dicere: עשרה קבין זנות ירדו לעולם כולו
 ט' נטלה ערכיא ואחד כל העולם כולו *Si decem Cabi scortationis descenderunt in mundum, nouem abstulit Arabia, & unum vniuersus reliquus mundus.*

§. 16. Porro Muhammedismus in censendis peccatis
 adeo lenis ac facilis est, vt mirum non sit, eum tam placide in tot
 nationum voluntates se infudisse. Virtutem laudat Alcoranus
 magnificis sæpe verbis, videlicet ad speciem: præcipit de-
 testari vitia; & tamen nullum pæne est facinus flagitiosum,
 nullum crimen, cuius causam (quæ singularis est Prophetæ in-
 dulgentia) illic peroratum non videas. Quid sanctius est pro-
 fessione ac cultu Dei veri? & tamen Moslemis graue non est,
 si quid incommodi aut periculi inde metuant, abnegato Deo,
 idololatricam aut aliam quamuis superstitionem simulare, mo-
 do fidem (vt ipsi præsumunt) in corde retineant. Refugit
 enim caro, Dei ac veritatis causa martyrium suscipere; k) ac
 mauult professioni veritatis suam antepone re commoditatem.
 Vultis hanc in rem Muhammedis audire sententiam? Sura V.
 5. ait: *Ratam pro vobis habui Islamiticam religionem; quicun-
 que tamen coactus fuerit in fame, (modo ne deuiauerit ad pec-
 catum cum intentione) certe Deus ei erit indulgens atque mi-
 sericors.* Et Sur. XVI, 108. *Quisquis abnegauerit Deum post
 susceptam fidem, excepto qui ad hoc fuerit coactus, (ita vt ta-
 men cor eius in fide firmum sit;) sed quisquis, inquam, lubenti
 animo Deum abnegauerit, super eos erit ira Dei &c.* Nihil
 hic reprehensionis, quam iuste saltem meruerat infirmitatis
 peccatum: nec molli quidem (vt aiunt) brachio obiurgatur,
 propter quod vim lacrimarum Petrus quondam profuderat.
 Nulla hic pœnitentiæ mentio: quia Deum ex metu abnegare,
 Muhammedi nullum omnino peccatum, sed prudentia est. Ete-
 nim

i) allegat etiam *Buxtorfius* in *Lex. Talmud.* fol. קכ.

k) cf. *Matth.* 10, 32. 33.



nim Sura XLVIII, 25. laudat suorum aliquos, qui, dum ipse Medinam fugisset, Meccæ restiterint, ab idololatriis nil quidquam se separantes, ita tamen ut intus Moslemi essent. Quia ipsa indulgentia fretus ille Arabs, cuius §. 10. mentionem inieci- mus, per quadraginta quinque annos Parisiis Christianum e- gregie simulavit.

§. 17. Eadem ratione rigorem legis suæ, de non come- dendis idolothyis, nec non morticino, sanguine, & carne fu- illa, quam ex Iudaismo partim reuocauerat, rursus emollit, ne cui grauis sit. ait enim Sura II, 168. *Quicumque necessitate coactus fuerit ad comedendum ista, non transgrediens, neque iniuste agens, super eum non est reatus: Deus enim est indulgens mi- sericors.* quod ipsum repetit Sura XVI, 116. *Conditio autem ista, quam supponit, si ex mente interpretum æstimeretur, adeo laxis continetur terminis, ut dubium non sit, quin ex Mosle- mis maxima pars suauiter sibi de possessione eius blandiatur. Ita enim Iabias & Gelaloddinus 1) illud, non transgrediens neque iniuste agens, *παράφρασις*: Non inique agens, contra alios, neque infestans vias, neque desciscens ab obedientia antisti- tum, neque nimis procul progrediens in inobedientia Dei.* „Non ita docuit S. Paulus, (inquit Marraccius l. c. p. 70. b.) „qui nec ob necessitatem quidem, neque ob ipsam mortem, „manducanda illicita pronunciauit, si id fieret cum scandalo, „ex ruina proximi. Et multo minus licebit cibos comedere, „si cogatur id facere in contemptum religionis, ut ostendit ex- „emplum Maccabæorum.

§. 18. Alius laxitatis modus est a tempore desumptus, cum scilicet scelera quædam, quæ abolenda erant, ex præteritis tem- poribus continuari permittit, sub frigidissima cautela, modo ne imposterum talia de nouo parent. Hac ratione confule- bat Arabibus suis, cum Sura IV, 26. 27. incesta prohibuisset ma- trimonia, quibus adhuc dum plurimos suæ gentis intelligebat implicitos. Dicit enim: *Ne ducatis mulieres patribus vestris nuptas, nisi quod circa hoc iam præterit, id est, si qui vero no-*

vercas

1) apud Marrac, in *Refut. Alcor.* p. 68. a.

vercas in matrimonio iam habent, possunt eas retinere. *Prohibentur vobis matres vestrae, & filiae, & sorores, & amita, & mater tera vestra &c. nisi quod circa hoc iam praeterit; Deus enim est indulgens misericors.* Sic Sur. II, 276. vbi *vsuras gravissime vetuerat, tamen subiungit: Ad quemcunque igitur venerit haec monitio a Domino suo, & abstinerit ab usura in posterum, illi erit quod praecesit; quicumque vero ad eam redierint, illi erunt focii gehennae.* Quibus verbis concedit, quod quis olim per usuram illicite adquisierat, retinere, sine debito restituendi. Quod sane secundum suam hypothese[m] facere non debebat; quia usuras absolute statuit illicitas, ac speciem furti esse. *Peccatum enim (vt Augustinus ait) non remittitur, nisi restituatur ablatum.*

§. 19. Sancta est iurisiurandi religio, neque vel temerario abusu, vel periurio, profananda: verum Muhammedes (vt solet) laxitatis suae specimen hic quoque dedit. Primum enim haud erubescit, sine sufficienti causa per res saepe frivolas, pessimo pro suis exemplo, in Corano iurare, e. g. *per ventos dispergentes, per feminas grauidas, per naues celeriter currentes, per distribuentes rem, per calamum, per solem & lunam, per missos instar iuba[e] equinae, per ventos vehementer spirantes, per discernentes, per auferentes, per natantes, per praeeuntes, per gubernantes, per montem Sinai, per librum scriptum in membrana expansa, per stellas occidentes, per auroram rutilantem, per caelum striatum, & si quid plus est ineptiarum, quod non vacat nobis nunc commemorare.* Deinde vero temerarium usum iurandi, velut rem indifferentem in medio relinquit. Sura enim II, 225. *Non coarguet vos Deus, inquit, si quid temere iuraueritis: sed puniet vos ob id quod adquisierint corda vestra, i. e. quod cum intentione accipientes prudentesque iuraueritis: nam Deus est indulgens misericors.* Idem repetitur Sura V, 91. Quid vero sit temere iurare, Gelalodinus in glossa ad l. c. exponit: *si lingua praeveniat, sine interna intentione iurandi; vt cum aliquis dicit:*

Non

Non per Deum! Ita per Deum! *Et in hoc nulla est iniquitas seu impietas.* Denique etsi quis cum intentione iurauerit, tamen alicubi potestatem ei facit, si velit, intra quatuor menses ab iurando resiliendi: quamvis res ipsa talis sit, vt (saltem ex Muhammedis principiis) a iurante, citra conscientiae læsionem, præstari posset. Sura II, 226. ait: *Illis qui iurant, nolle se cum vxoribus rem habituros in posterum, dato sc. illis repudio, (quod Moslemis licitum est atque indifferens;) conceditur illis mora quatuor mensum, intra quam si mutauerint propositum, utique Deus erit indultor misericors.* Quam licentiam tum sua, tum aliorum causa inuexit. Nam, vt *Iabias m)* ipse refert, *Haphsa* (Muhammedis vxor) fuerat aliquando profecta ad visitandum patrem suum; reuersa vero inuenit Legatum Dei (Muhammedem, egregium Dei legatum, scilicet!) cum *Maria* (ancilla sua) in domo sua. egressa igitur *Maria*, intrauit *Haphsa* ad Legatum Dei, dicens: *Nonne ego vidi, quenam esset tecum in domo mea? cui Legatus Dei, Per Deum, inquit, iuro, me nunquam in posterum concubiturum cum ea.* Sed Muhammedes, quum nimis graue sibi futurum sentiret, ab impudico *Mariæ* commercio abstinere, mox priuilegii sui memor, alloquium *Gabrielis* se audiuisse, pro more fingit Sura LXVI, 1. 2. *O Propheta, quare abstines ab eo, quod tamen Deus licitum fecit, ex mero studio complacendi vxoribus tuis, (quæ propter zelotypiam ægre ferunt licentiam tuam;) cum tamen Deus sit indultor misericors? Iam tum enim sanxit in gratiam vestri, vt liceat vobis iuramenta vestra dissoluere.*

§. 20. Sed plura laxitatis licentiæque effrænis exempla ex Muhammedismo adferre, nec licet nobis, dum breuitati studemus; nec opus est etiam, cum iam adducta satis sint ad intelligendum, quod volumus. Illud vero superest, vt præiudicia, ex quibus hanc suam laxitatem deducit, paucis adhuc tangamus. Sunt vero hæc eadem fere, quibus Pseudo-Christiani in prætextum impietatis & sensus carnalis, contra

m) apud *Marracc*, in Prodr. P. IV, c. 19.



ἀληθείαν τῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ abuti solent; apud Muhammedanos vero efficaciora, quia Alcorànica lege probantur, ac proin auctoritatem verbi diuini apud ipsos habent.

§. 21. Videlicet *primum* est egregia illa *œconomia Dei*, ab impostore efficta: de qua breuiter sic habe. *Comminiscitur enim, religionem cum temporis progressu, magno Dei beneficio, magis magisque humano generi facilitatam; vt querimoniarum caussa nulla mortalibus superesset: Iudaicam proinde grauem ac duram fuisse, Christianam faciliorem, Muhammedanam tandem facillimam. Hoc sine Sura III, 44. facit Iesum, Messiam nostrum, ita loquentem: Et veni confirmaturus id, quod ante me fuit de lege Mosis, & vilicitam vobis faciam partem illius, quod prohibitum vobis fuit. De se vero Sura VII, 157. ait: Qui sequuntur (Muhammedem) Legatum, Prophetam idiotam, de quo inueniunt penes se scriptum in Lege & Euangelio, precipientem illis de iusto, & prohibentem eos ab iniusto, & permittentem eis bona, mala vero eis interdicientem, qui deponit ab illis onus graue ipsorum, & catenas, que erant super illos &c. hi sunt felices. & Sura II, 286. cum Moslemis suis orat: Ne imponas nobis graue onus, quemadmodum illud eis imposuisti, qui ante nos fuerunt; neque portare nos cogas, o Domine, ad quod portandum nulla nobis vis suppetit: sed parce nobis, & condona nobis, & miserere nostri.*

§. 22. Equidem videntur hæc sensum non adeo incommodum habere, de abrogatis Iudæorum ceremoniis; vt pote quas Petrus Act. 15, 10. *iugum ingestabile* fuisse asserit: sed temporum ratio vetat, hunc sensum admittere. Deprecatur enim Muhammedes generatim *eorum onus, qui ante ipsum fuerunt*: ad quos chronologia Christianos æque ac Iudæos referri iubet. Deinde onus Leuiticarum legum, confitentibus ipsis Moslemis, iam antea Christus sustulerat; nec opus demum erat Muhammede, nisi actum hic vellet agere. Tum vero mirum esset, si Muhammedi constitutum fuisset, religionem hac parte faciliorem reddere, quod nihilominus Pseudo-

pro-

propheta ceremonias haud exiguas, a Christo iam abrogatas, ipse postliminio reduxerit, ac suorum tergis imposuerit, v. g. circumcisionem, ritus lotionum sacrarum, prohibitos cibos, sacrificia, Naziræatum: taceo ritus peregrinationis Meccanæ, gargarizationem, iactus lapillorum iuxta Caabam seu fanum Meccanum, &c. quos Muhammedes de nouo insuper adiecit. Iure igitur nostro videmur colligere, (vt verbis *Marracci* n) vtamur) Magnum fuisse Muhammedem laxonem, & licentiæ vitioseque libertatis amicum: neque hic esse sermone-
nem de Iudæis, a quorum grauioribus præceptis legalibus, seu ceremonialibus, non ignorabat Muhammedes, homines iam per Christum fuisse solutos; sed de Christianis, & de pondere legis Euangelicæ: quæ cum tota sit sancta & immaculata, & repudia, polygamiam, vltionem, talionem, & alias huiusmodi laxitates prohibeat; ex opposito vero vnus vxoris indissolubile connubium, erga inimicos charitatem, & beneficentiam, pudicitiam, abstinentiam, humilitatem, perpetuum sui ipsius odium, terrenarum rerum omnium contemptum, aliasque huiusmodi perfectissimas virtutes præcipiat: Muhammedi, qui totus Veneri, ventri, cædibus, rapinis terrenæque gloriæ erat addictus, nimis grauis & profusus importabilis est visa.

§. 23. *Alterum est opinio de indulgentia & benignitate Dei*, qua velut patrocínio ac velamento impietatis, nimium quantum Alcoranus abutitur. Meminerit enim Lector, ex iis quæ dicta hucusque sunt, Muhammedem, vbi licentiæ fræna vel ad libidinem, vel ad crassam hypocrisim, & abnegationem Dei, vel ad incestum, vel denique ad periurium laxauit, passim addidisse hanc formulam: *Vtique enim Deus est indultor misericors.* Et hanc ipsam sententiam per vniuersum Alcoranum adeo crebro repetit, vt fere decimo quoque commate recurrat; quanquam subinde parum ad rem. Placet nimirum carni indiscreta & promiscua misericordiæ diuinæ com-

C 2 me-

n) in Refut. Alcor. p. 102.

memoratio, tumque magis, cum ad roborandam impunitatis præfumptionem profanis mentibus applicatur.

§. 24. *Tertium est prætextus imbecillitatis ac impotentie humane.* Prætextum dico: quia imbecillitatis agnitionem non eo fine inculcat hominibus, vt ad intimam aduulsas suæ miseriam, serio & agnoscendam & detestandam, perducat, sed solum ad alendam non modo desidiam, sed petulantiam quoque ac procacitatem. Exemplo sit illud Sura IV, 32. vbi, cum gregem vxorum suis permisisset, nullo præter hoc vti nouit perflugio: *Vult Deus alleuare vobis; quippe creatus est homo INFIRMVS;* scilicet (vt Gelaloddini glossa explicat) *nequit se continere a mulieribus & libidinibus.* Quasi vero gratiæ diuinæ efficacia satis non sit, ad continendum hominem a crassa istiusmodi libidine, a qua ipsos quoque gentiles plurimos, cæcos quamlibet & a Deo alienos, solis naturæ viribus abstinuisse cognouimus.

§. 25. Et tamen oppido mirandum est, Muhammedem, cum sciret, naturam hominis adeo enormiter infirmam, nihilominus (quod *quartum* est eius præiudicium) *nil ultra, quam est in viribus nostris, ab homine requirere:* quod sane non potest, quin securitatem augeat, & prætextum faciat apertissimæ intemperiei; si quidem homo adeo infirmus, vt, Deo indulgente, (quod citra blasphemiam dictum sit!) crassiori quoque libidini succumbere cogatur. *Non adigimus,* inquit, *hominem ultra quam potest;* Sura XXIII, 64. Sura II, 286. Sura VI, 153. & alibi sæpius. nam & hoc familiare Muhammedi vocabulum est, æque ac illud de *facilitate* §. 6. Ergo aut abolet prorsus *تا باقرىقا را وىس,* vt Christus vocat Matth. 23, 23. quippe extra vires nostras posita; (& hoc quidem a mente Muhammedis non est alienum;) aut, nisi abolet, saltem hominis arbitrio ac naturæ facultatibus ea in vniuersum defert; (quod ipsum quoque non abest a populari blandimento;) suauiter enim homines adfcit, si tantum suis viribus tribuitur, vt quidquid ex illis præstant, verus & a Deo requisitus cultus videatur.

§. 26. *Quin-*

§. 26. *Quintum* præiudicium versatur in extenuandis peccatis (vt vocant) *infirmi- tatis seu leuioribus*: quasi hæc Deum non offendant, aut reatum homini inducant. Qua de re ita pronunciat Sura XXXIII, 5. *Non erit super vobis crimen, scubi hallucinati fueritis; sed si corda vestra intenderint, i. e. consulto & ex proæresi feceritis: est enim Deus indultor misericors.* Et Sura LIII, 32. *Illis, inquit, qui vitant grauiora flagitia nec nisi leuia peccata committunt, certe Dominus tuus erit amplus indulgentia.* Denique Sura IV, 35. *Modo fugeritis grauiora peccata, que vobis prohibita sunt, expiabimus a vobis mala vestra leuiora, & introduce- mus vos optima introductione in Paradisum, vbi Gelaloddi- no grauiora peccata sunt, super que cadit comminatio pænæ a Deo, vt homicidium, fornicatio, furtum.* vt adeo quisquis modo homicida, vel fornicator, vel fur ne fuerit, certam possit spem gratiæ diuinæ ac salutis præsumere. Sed nimirum dum *leuiora* peccata negligit, animum suum satis prodit, quod nec *grauiora* magnopere curet.

§. 27. *Sextum* enim est præiudicium eius, *peccatorum omnium* (ipsorum quoque *grauiorum*) *contemptio ex præsumpta fiducia in vnus Dei professione* seu, vt sic dicam, ortho- doxia Islamitica. Ita enim habet Sura IV, 51. *Certe Deus non ignoscet, quod adsocietur ipsi alius Deus; ignoscet vero quodlibet aliud peccatum, quod fuerit præter hoc, cui voluerit.* Eadem habet v. 116. Quod vero dicit, Deum omnia peccata, præter idololatriam ac polytheismum, remissurum; non potest nisi hoc sensu capi, vt quodlibet peccatum, præter idololatriam ac plurium Deorum cultum, præsumatur a Deo condona- tum iri, etsi peccator id nunquam detestetur atque omittat: quia, si intelligeret peccata, post seriam detestationem ac penitentiam in posterum omittenda; ne polytheismum quidem irremissibilem dicere debuisset, quippe in quo Muhammedes, cum suis sociis, ipse quondam ad quadragesimum vsque ætatis annum hæserat, veniam nihilominus consecutus. Consona autem his traditio est Moslemorum, quam ex Muhammedis

ore repetunt, in *Albocharii* trigesima parte *Traditionum Alcoranicarum*. o) Ferunt enim Prophetam suum dixisse: *Venit ad me Gabriel, & attulit mihi faustum nuntium; quod nimirum quisquis mortuus fuerit, nec ad sociaverit quidquam cum Deo, (id est, nullum alium Deum præter eum adoraverit) ingreditur in Paradisum. Ego vero (inquit traditionis auctor) dixi Prophetæ: Quid vero, si quis fuerit fur, aut mæchus? Ille vero respondit: Etiam si fur, aut mæchus fuerit. Theologis iudicandum relinquimus, anne hoc analogum sit ei, quod Tridentini p) somniant de *fidelibus fornicariis, adulteris, mollibus, masculorum concubitoribus, furibus, avaris, maledicis, rapacibus, ceterisque omnibus, qui lethalia committunt peccata. præsertim si citato Corani loco iungatur Thalebiensis scholion, quod sic habet: Ostendit hic versus falsitatem propositionis Cbaregitarum, (Hæreticorum nomen est apud Moslemos,) qui existimant, graviter peccantem esse infidelem. Qua de concordia Muhammedis cum Pontificia doctrina, pæne gratulatur sibi Marraccius q), Vir contra Islamicam sectam immortaliter alioquin meritis.**

§. 28. Ceterum dum Muhammedismi laxitatem ac indulgentiam describimus, in mentem Lectori venerint tum interdictiones, tum præceptiones Corani, satis quidem multæ ac (ut videntur) graves: quæ vero austeritatis potius, quam indulgentiæ speciem præ se ferant, ac nostræ proin sententiæ haud parum repugnare videantur. Et quantum ad *interdictiones* speciatim, urgebitur contra nos forte prohibitus vini usus, interdicta usura pecuniaria, cum aliquot vetitis ciborum generibus, & id genus plura, a quibus ægre mortales abstinent. Verum bene se res nostra habet. Primo enim Muhammedes huiusmodi interdictionibus carere non potuit, ad laxitatem suam eo speciosius insinuandam: quia, si nihil omnino prohibuisset, facilius patuisset dolus, nec tam potens fuisset ad fascinandas mentes, quippe nullo plane religionis colore imbutus.

Suf-

o) *Marracc. Prodr. P. IV. p. 37. b. Edit. in fol.*

p) *Sess. VI. c. 15. p. 59. Edit. Hal.*

q) *Prodr. P. III. p. II. a.*

Sufficiebat Muhammedi ad suum institutum, si licentiam, quam nec Iudaica lex, nec Euangelium Christi vnquam permisisset, suis polliceretur, vt tamen haud irreligiosa videretur. Deinde vero vix video, quid obftet, quin Moslemus aliquis, sicubi interdictiones nimis sibi graues putet, difficultatem compendiose tollat isto Abulcalemi canone, quem §. 7. allegauimus: *Quidquid continetur in Alcorano asperi &c. abrogatum fuit per ea verba: Vult Deus a vobis res leues & faciles, non autem graues & difficiles.* Certe legem de non comedenda carne suilla aliisque cibus, ipse haud parum relaxauit, vt §. 17. ostendimus. Et notabile est, Muhammedem in hac ipsa prohibitione immundorum ciborum monstrasse popularis ingenii sui quoddam specimen. Nimirum suem, inquit *Marraccius*, tanquam corporeæ saluti, noxium, ab Arabibus reici videbat; camelum vero (Mosaica, lege prohibitum, a Muhammede permixtum) valde in vsu, apud eos esse non ignorabat: quamobrem ex eorum genio, & gustu leges sanciebat. Nec verendum, ne vsuræ prohibitio Muhammedanis nimis molesta sit, quippe modum excogitarunt, abstinendi ab vsura, & salua tamen lege argentum suum nunquam sine spe fructus aliis elocandi; de quo videtis *Ricautum in Statu Imperii Ottomannici* p. 354. Edit. Germ. Vino denique Moslemi eo facilius carere debent, quia legislator ipsorum optimos potus, ex dactylis aliisque frugibus confectos, ac vino nil quidquam sapore cedentes, ipsis indulxit. Quamquam, vt *Marraccius* r) auctor est, etiam vinum Muhammedani libere & largissime bibant, neque, vt opinor, sine probabilitate iuris: quippe duo primarii interpretes, *Gelaloddinus* & *Zamchafcherius*, prohibitionem (quæ Sur. II, 215, & V, 92.) statuunt non cadere supra vinum absolute, sed *supra nimium studium & adplicationem in eo*; & Muhammedes ipse alibi Sura XVI, 69. vinum, tanquam optimum potum & singulare Dei beneficium, laudat.

§. 29. Quantum vero ad *præceptiones* Corani, primo qui-

r) Prodr. P. IV. p. 38.

quidem intuitu graues videntur; sed si considerentur penitus, tales sunt, vt & hypocritæ & aperte improbi eas haud difficulter præstare possint. Tota enim illarum compages inanem sanctitatis præsumtionem alit, ex opere (vt vocant) operato: ad veram sanctimoniam, ad solidam cordis omniumque facultatum hominis immutationem (quam diuina sacrarum Litterarum lex exigit) nil quidquam pertinet. Si quæris, constitutiones pleræque vel mere ciuiles sunt, de hereditatibus, de debitis, de bello, de matrimoniis &c. vel ceremoniales, ad formando exterioribus ritus in precibus, lotionibus ac peregrinationibus sacris, in mactatione pecorum, & hoc genus aliis rebus, quæ tanto præstantur lubentius, quanto ad Paradisum compendiosior via esse censetur per ritus actusque exteriores, quam per feriam sui ac mundi abnegationem.

§. 30. Esto, pugnam aduersus infideles, quam Sura IX. tota Moslemis grauitè inculcat, habere aliquid molestiæ: tamen quid popularius ac suauius esse poterat quam larga spoliiorum promissio? Sura VIII, 70. &c. præsertim apud Arabes, gentem rapto viuere adsuetam. Aut quid magis illius molestiæ sensum lenire poterat, quam ingens illa pollicitatio, quod qui in bello contra infideles mortem obiisset, ad Paradisum confestim transiturus esset, æternorum gaudiorum sine dubio compos? Sura II, 149. *Ne dicatis, inquit, eos, qui in via Dei (hoc est, in bello pro religione) occiduntur, mortuos esse: immo vero viuunt; verum non sentitis. v. 152. Super hos erunt benedictiones a Domino suo, & misericordia: & hi sunt rectè ducti.* Item Sura III, 151. 152. *Quodsi occisi fueritis in bello contra infideles, aut mortui, certe indulgentia a Deo & misericordia melior erit, quam quod colligunt alii, domi manentes. Quodsi mortui fueritis, aut occisi, certe ad Deum congregabimini.*

§. 31. Ceterum opera a Muhammede præcepta, apud Moslemos non vno valoris gradu sunt; alia enim legis sunt ac necessaria; alia traditionis; alia denique superogationis. Sumamus igitur prioris generis aliquas ac fundamentales constitutiones

ones

32 q VI. 1. 1. 1. 1.

ones, quæ a Moslemis *radices & columnæ legis* nuncupantur, ac definiente auctore tractatus *de Legibus Islamiticis* s) quinque sunt. 1. *Professio unitatis Dei.* 2. *Eleemosyna.* 3. *Oratio.* 4. *Ieiunium.* 5. *Peregrinatio ad delubrum Meccanum,* quibus *Abulfaragius* t) addit *Munditiem in extremis hominis partibus.* Nulla harum constitutionum Moslemis nimium grauis. Prima quippe absoluitur ista formula, quæ Muhammedanis symbolica: *Non est Deus præter vnum Deum.* Et hæc professio etiam furibus ac latronibus inter Moslemos saluti est, vt demonstrauimus §. 27. Eandemque, si suis professoribus periculosa sit, dissimulare pro temporum rationibus licet, coll. §. 16.

§. 32. *Eleemosynam* dandam esse per sæpe monet Muhammedes. Sed eleemosynam duplicem apud Moslemos esse, vnam *Zakat*, quæ proprie tributi species aut decimarum, pro expensis belli contra infideles, alteram vero *Sadkat*, seu spontaneam pro mendicis ac pauperibus, monet *Marraccius*. u) Priori amplissima merces proposita. Sura LVII, 10. *Quare non velletis erogare eleemosynas pro via Dei,* (pro bello contra infideles;) *cum tamen Deo sit hereditas calorum & terræ. Non adequantur ex vobis, qui erogauerit impensas ante victoriam, pugnaueritque, & qui hoc fecerit post victoriam, hi erunt maiores gradu, quam qui erogauerint postea, ac pugnauerint. Sed tamen omnibus (vtrisque) promisit Deus optimum sc. paradisum.* Talem igitur eleemosynam a suis exigere, magnopere Muhammedis intererat, si bello finitimos subigere vellet. De posteriori vero procul dubio accipiendus est locus Sura II, 215. 216. vbi, *Interrogabunt te, inquit, quid seu quantum erogare debeant in pauperes? Responde: Superfluum.* Verum hoc adeo generale est & ambiguum, vt opiner, avaros Moslemos nunquam aliquid habituros *superflui*; neque tam legis rigore, quam ostentationis & meriti causa moueri, si quid eleemosynarum faciant.

D §. 33. De

s) apud *Marrac.* in Prodr. P. IV. p. 9. a.

t) in *Pocokii Spec. Histor. Arab.* p. 30. u) Prodr. IV. p. 31, 32.



§. 33. De Precibus habet Sura IV, 104. *Preces sunt fidelibus præscriptæ, suis temporibus statutæ.* Quinquies autem Muhammedani ex præscripto legis precantur 1. mane, 2. meridie, 3. post meridiem, 4. sub occasum solis, & denique 5. post eius occasum. Et ob has quinque preces (arduum dictu! scilicet) persuadent sibi Muhammedani, se esse illos *veros adoratores*, quos Christus prædixerit Deum in Spiritu & veritate adoraturos, Ioh. 4, 23. x) Enim vero si numero metienda res foret, utique debent Dauidi prærogatiam concedere, quippe qui Ps. 119, 164. *non quinquies solum, ut Muhammedani, sed septies quotidie se Deum laudare* profitetur. ut taceam *continuas preces a Christo mandatas* Luc. 18, 1.

§. 34. At *ieiunium* homines ab Islamismo deterrere poterat? Immo vero id metuendum non erat: quippe Muhammedis ieiunium ita est comparatum, ut dubium sit, potuissetne vel crassissimus Epicuræus profusiores voluptates atque libidines unquam desiderare, quam Muhammedes tempore ieiunii sui permittit. Audiamus ipsum hac de re fermocinantem Sura II, 179. *Permissa est vobis nocte ieiunii coniugalis accessio ad uxores vestras: ipsæ enim sunt indumentum vobis, & vos estis indumentum ipsis. novit Deus, quod (in principio Muhammedismi) defraudaveritis animas vestras in hoc: itaque misertus est vestri, & indulsit vobis. Iam igitur inire eas, & adperite, quod præscripsit vobis Deus: & comedite, & bibite sc. per totam noctem, donec distincte dignosci queat filum album a filo nigro in aurora.* Egregium ieiunium, & in quod eminentissimo iure dici potest הכזה יהיה צום אכתרהו *Hocine esset ieiunium, quod eligerem?* Esa. 58, 5. Et tamen in hoc tam graui ieiunio nimirum, Muhammedes, qua erat æquitate, indulsit seu, ut nunc dicimus, dispensavit, non modo *ægrorum ac iter facientibus*, ut ad alias dies id transferre liceat; sed illis etiam, *qui ieiunare possent*, ut sine prætextu ieiunium omittant penitus, modo id *reemerint cibatione unius pauperis*: quam ad rem adhibet tritum illud, *Deus vult pro vobis res faciles, non vero vult pro vobis res graves*, Sura II, 179. 180. 181.

§. 34. At

x) Vid. Marracc. Prodr. P. I. p. 27. b.

§. 35. *Visitatio ædis Meccanæ, seu Peregrinatio*, cuius ritus copiose explicat *Marraccius*, y) difficultates adeo exiguas inuoluit, vt ex Arabibus neminem, opinor, ab Islamismo arcerere potuerit: quippe quam non Muhammedes demum recens inuexit, sed Arabibus ethnicis multorum sæculorum decursu iam antea frequentatam seruauit. Nam quod hac lege Arabibus placere voluerit, vel inde patet, quod eadem peregrinatione iubet Meccanos montes *Sapham & Meruam*, idolis quondam sacros, pristino ethnicorum ritu *circumgyrari*, Sura II, 153. quod sane vt faceret, causam nullam habebat, nisi vt Arabes suos demulceret, huic rei iam dudum aduetos. Insuper multi peregrinationem istam ex Moslemis adgrediuntur mercaturæ causâ, quæ Meccæ propter confluxum totius Orientis eo tempore maxima est, & a Muhammede, non sine præiudicio huius sacræ ceremoniæ, permittitur, Sura II, 193. Denique qui semel per vniuersam vitam eo profectus est, religioni penitus satisfecit. Et, si via tuta non sit, aut si quis non ultra necessitatem superfluis facultatibus abundet, ne obligat quidem ista religio. z)

§. 36. *Purificationem* denique, seu munditiam Moslemorum, *Abulfaragius* recte in *extremis hominis partibus*, hoc est, facie, manibus, cubitis, capite, pedibus, talis, collocauit: quippe nec Alcoranus, vbi de illa agit, altius ascendit. Sura V, 8. 9. ait: *O fideles, quando statis ad peragendas preces, lauare prius facies vestras, & manus vsque ad cubitos, & abstergite capita vestra, item pedes vestros vsque ad talos, & si fueritis immundi ex coitu, purgate vos aqua: sin fueritis egroti aut in itinere, vt vel non liceat aqua, vel non suppetat, aut si venerit aliquis vestrum a latrina, aut si contrahaueritis mulieres, nec aquam inueneritis; accipite ad purificationem puluerem bonum, (ridicula purificatio!) & confricite eo facies vestras & manus. Non vult Deus vobis imponere vllam difficultatem.* Sic Sura, IV, 46. Nihil vero hic est purgationis interioris ac spiritualis: etsi prudentiores Moslemorum eius aliquid per allegoriam inde

y) Prodr. P. IV. c. 8. p. 23. seqq.

z) Vid. *Marracc.* Prodr. p. IV. p. 23. 2.

de eliciant, vt Algazelus, a) qui quatuor purificationis gradus statuit 1. mundationem corporis ab excrementis ventris, impuritatibus & superfluitatibus, 2. mundationem membrorum a sceleribus & iniquitatibus, 3. mundationem cordis a vitiis & pravis habitibus, & 4. mundationem secreti (i. e. cordis) ab omni re præter Deum. Idemque grauiter doluit, gentem suam esse totam in externis purificationibus, cum interea internum habeant desolatum & repletum vitiis superbie, fastus, inscitie & hypocriseos. b) Verum Ismael filius Aly c), cum differentiam Christianæ religionis a Muhammedana describit, ait: Non vtuntur (Christiani) purificatione ante orationem, & improbant purificationem Iudeorum & Muhammedanorum, asserentes, fundamentum ponendum esse in puritate cordis. Recte & quod res est, dicit Moslemus. Et proin vel vnica res ista docet, Muhammedismum superficialium esse, ac laxum, facilem, & in exterioribus tantummodo occupatum. Id quod tota hac commentatione nostra breuiter nobis explicandum sumseramus. Rogamus Deum, velit tot gentes, Muhammedis fraudibus misere deceptas, luce Euangelii sui collustrare! Nos vero conseruet & sanctificet in veritate sua:
quoniam Verbum ipsius est Veritas.

A M E N!

a) apud Marracc. in Prodr. p. IV. p. 27. a.

b) Conf. etiam Relandus de Relig. Mu. amm. I. II. p. 128. seqq.

c) Marracc. I. c. p. 30.



870



D.

Hb 870

ULB Halle 3/1
001 173 154




